



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IV. Quod vsurae sub iuramento promissae, sunt soluendae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. IV. *Idem Vigilenſi epiſcopo.*

Debitorum autem ad ſoluendas uſuras, in quibus ſe obligauerant, cogi non debent, niſi eas iuramento ſoluere teneantur. Si uero de ipſarum ſolutione iuramentum fecerint, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum, ut a creditoribus abſoluantur: & cum uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas eccleſiaſtica, ſi neceſſe fuerit, cogendi ſunt ſeueritate.

CAP. V. *Idem Salernitano epiſcopo.*

Cum ſicut tu aſſeris, manifeſtos uſurarios, ſcilicet qui in illo deceſſerunt peccato, communionem altaris & eccleſiaſtica, iuxta decretum noſtrum nuper in Concilio promulgatum, præceperis ſepultura priuandos, donec reddant quæ tam prauè receperint: quidam eorum dicunt ad ſoluendas perceptas uſuras, proprias non ſufficere facultates: alii uero promittunt ſe partes uſurarum quas habent præ manibus, reddituros: ſed alias quas extorſerunt uſuras, cum de his poſſeſſiones comparatæ ſint, & eorum filiis uel parentibus traditæ, ſe non poſſe reddere profitentur. Alii vero ad excuſandas excuſationes in peccatis, impudenter affirmant, illas dumtaxat uſuras reſtituendas, quæ ſunt poſt interdictum noſtrum receptæ, nec aliquos ad ſoluendas uſuras, quas ante interdictum receperant, debere compelli. Super his diſcretionem tuam reſpondemus, quod ſiue ante, ſiue poſt interdictum noſtrum uſuras receperint, cogendi ſunt ſub pœna quam ſtatuiſimus in Concilio, eas his, a quibus extorſerint, uel eorum heredibus reſtituere: uel his non ſuperſtitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipſas reſtituere poſſint, cum iuxta uerbum beati Auguſtini, non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus, de quibus uſuras ualeant reſtituere, non debent pœna illa mulctari, cum eos nota paupertas excuſet. Poſſeſſiones uero quæ de uſuris comparatæ ſunt, uendi debent, & ipſa præcia his a quibus uſuræ extortæ ſunt, reſtitui, ut ſic non ſolum a pœna iſta, ſed etiam a peccato, quod per uſurarum extorſiones incurrerunt, poſſint liberari.

Pfal. 140.

Reſtitutio uſurarum.

ANNO  
CHRISTI  
1179.ANNO  
CHRISTI  
1179.